

& auditores meos, attuli ea, quæ meo tempore communi sententiæ consentanea erant. Idque non tantum feci, sed publicè in ipso libello pag. 227. 229. professus sum; melius hoc esse putans, quam si cum Watsonio

— *argutos inter strepere anser olores*
 auderem, & quæ recentiores comperta sibi in contrarium affirma-
 rent, cum illis affirmarem, quæ negarent, negarem, licet argumenta
 illorum non intelligerem, nec propter defectum experientiæ [ideò
 tamen necessariæ quod & ipsi inter se invicem controversiis non
 omnino careant] intelligere possem. Hæc, inquam, cùm apertè in
 Physica professus sim, itaq; ad ea, quæ habet Watsonius pag. 416. 417.
 contra me, de partibus corporis contentis & fluidis, & aliis, quæ ipsi
 non placent, sufficit pro responsione, me nec pro meis, nec pro Ari-
 stotelicis venditasse.

§. 2. Sed malè scilicet tueor titulum libelli mei, qui *Physicam Aristotelicam* promittit. Respondeo, denominationem fieri à potiori, & ut proverbio dicitur, unam hirundinem non facere ver, for-
 tasse nec alteram aut etiam tertiam in hoc quidem negotio. Etsi
 enim non diffiteor, in una aut altera quæstione ab Aristotele, potissimum ubi experientiæ propriæ ~~ωρίξει~~ caruit me recedere; quod
 quibus de causis faciam, adjicere plerumque soleo. Hoc tamen
Aristotelicum esse fatebuntur omnes Aristotelici, I. Quòd prin-
 cipia Aristotelica rectè tradam, ut fatetur ipse Watsonius pag. 339.
 II. Quòd modo tradendi & demonstrandi Aristotelico utar, ut ite-
 rum fatetur Watsonius, pag. 69. III. Quòd ea, in quibus ipsum de-
 fero, exigua pars sint eorum, in quibus ipsum sequar. Imò id ipsum,
 in quo me Watsonius perfidiæ in Aristotelis interpretatione arguit:
 quod scilicet nihil demonstrabilium, sive Logicè sive oculariter, ut
 sunt Anatomica, pro certo affirmem, nisi habeam demonstratum,
 pro defensione tituli *Physicæ Aristotelicæ*, ut ego mihi persuadeo,
 sufficit.

Quæstio II.

An Sophisticatio sit ita argumentari: *Cerebrum est subtilior pars corporis. E. oritur à subtiliore parte seminis.*
 Item: *Cerebrum movetur ad exercitium intellectus. E. est illius Organum.*

§. 1. Ita